

§. XIV.

Sicuti autem corporis humani vel cuiusque rei sordes potissimum lauando expurgare solemus : Ita et scriptura peccatorum nostrorum per sanguinem Christi emundationem eleganti lotionis vocabulo haud inepte describit , quando docet : *Christum nos lauasse a peccatis nostris in sanguine suo* Apoc. I, 5. et DEUM Filiam Sionis a sordibus lauare recenset Es. IV, 4. confer Ps. Ll, 4. 9. Act. XXII, 16. quod tamen non eum in sensum accipi velimus , quasi facta hac purgatione seu ablutione ne ullus peccati fomes in renatis manferit residuus , adeo ut vel ipsa radix peccatorum funditus sit extirpata : Non enim quoad stirpem et sensum euulsa sunt ; Ioh. I, 8. sed tantummodo quoad condemnationem sublata , Rom VIII, 1. ceu pri dem euictum dedere systematici . Quorsum etiam respexit videtur noster Lutherus quando vocem hebraeam נס lepide reddidit *Entsündigen* conf. Ps. Ll, 9. Num. XXXI, 23. C. VIII, 21. et alibi.

§. XV.

Qua autem ratione et medio hanc emundationem præstet sanguis Christi haud difficult negotio determinari potest, nimur unice *per fidem in sanguinem Christi ad ostensionem iustitiae suae per remissionem delictorum*. Rom. III, 25. Notum quippe est in Scholis Theologicis iustificationem et peccatorum remissionem esse vocabula synonymica conf. Rom. IV, 6. 7. 8. quamobrem quotiescumque scriptura afferit , hominem unice per fidem iustificari , Rom. I, 17. C. III, 24. C. IV, 5. (gemina inuenies Gall. II, 16. Phil. III, 9.) idem est, ac si per fidem veniam peccatorum nos consequi pronunciat , Act. X, 43. Matth. IX, 2. Marc. II, 5. Luc. VII, 48. coll. cum 50. aut per fidem aspersos absolutionem a mala conscientia habere recenset. Ebr. X, 22. Quotquot enim credunt in nomen Filii DEI, eiusque sufficientissimum αύτην effusione sanguinis peractum, hos, utut in